

INTRODUCTIO

1. De Opitio Pallavicini nuntio eiusque operis sociis.

Opitius Pallavicini (Opizio, Obizzo Pallavicino), filius secundo loco genitus Pauli Hieronymi et Mariae Magdalena Spinola, 13 X 1632 Genuae natus, ab antiquissimo optimatium Reipublicae Genuensis genere originem duxit.

Gens autem Pallaviciniorum initium sumpsit a fabuloso illo Adalberto, qui VIII saeculo - exercituum Germanorum dux - in Italiam venisse ibique radices egisse fertur¹. Sed prima certa testimonia scripta de Oberto Pallavicini mentionem faciunt, qui a. 1143 possessiones suas inter filios divisit. Quae divisio duobus ramis gentis Pallaviciniorum, Genuensi et Lombardo, principium dedit².

Pallavicinii per saecula patrimonia sua ac divitias cumulabant atque adaugebant et in Republica Genuensi auctoritate non parum valebant, etiamsi principem locum numquam obtinuerunt³. Multi huius stirpis viri statum ecclesiasticum sunt amplexi, summas aliquando dignitates in ecclesiastica administratione adepturi. Itaque ante Opitium nostrum Lazarus, ex alio ramo Pallaviciniorum Genuensium ortus, a. 1669 dignitate cardinalis honestatus est.

Pater Opitii, Paulus Hieronymus (1602-1682), patrimonium hereditate acceptum diligenter ac sedulo administravit et constanter conatus est, ut illud augeret atque amplificaret. Propterea a. 1648 simul cum Angelo fratre Aegates insulas emere constituit. Administrabat praeterea amplissima bona in Sicilia sita, ubi per decem annos habitavit simulque (a. 1650-1654) munere consulis Reipublicae Genuensis Panormi functus est. Pluries etiam dignitate senatoria est donatus. Anno autem 1630 adeptus est titulum marchionis Sacri Romani Imperii a Ferdinando II imperatore (pro summa 2185 florenorum) ei collatum⁴.

Mater futuri nuntii in Polonia, Maria Magdalena (†1663), nata erat inclito genere Spinola, quod inter quattuor clarissima Reipublicae Genuensis genera numerabatur.

Frater Opitii natu maior, Ioannes Franciscus (natus 1631), et natu minimus, Iosephus (natus 1644), viam, ut ita dicamus, "saecularem" stirpis

¹ Gostkowski, p. 4r.

² Enciclopedia Cattolica IX, p. 642.

³ Bologna, p. 10 nota 4.

⁴ Idem, p. 20 nota 33.

Pallaviciniorum pergere statuerunt. Itaque Ioannes Franciscus in curandam rem familiarem imprimis incubuit, ab a. 1671 prout procurator negotiorum patris et patrui in Sicilia. Interdum etiam senator eligebatur. Multa ipsius progenies, ex matrimonio cum Maria Aurelia Spinola Grimaldi Cebà procreata, effecit, ut continuatio stirpis tuta ac secura esset. Iosephus autem fuit consul Panormi a. 1670-1672. Permulti ipsius posteri (matrimonio enim cum Placidia Fieschi erat coniunctus) iuniori ramo gentis Pallaviciniorum initium dederunt.

Opitius vero et frater eius natu minor, Petrus Antonius, statum ecclesiasticum elegerunt. Itaque Petrus Antonius a. 1658 Societatem Iesu est ingressus. Qua de causa praeter alia loca commorari ei contigit Romae, Mediolani et Lutetiae Parisiorum, munere etiam preepositi generalis Societatis Iesu functus est et per multos annos "artes liberales" docuit. Obiit Genuae a. 1706⁵.

Duae sorores Opitii nostri, Francisca et Ioanna, viris ex inclitis Reipublicae stirpibus, Spinola scilicet et Durazzo, natis matrimonio collocatae sunt.

De prima iuventute Opitii nobis parum constat; quae vero de primis eius ad altiores dignitatum ecclesiasticarum gradus ascensibus ad nos per venerunt, in brevibus vitae ipsius descriptionibus contenta, satis inter se discrepant. Itaque Marius Guarnacci de Opitio scribit eum "imberbem" Romanam venisse⁶ et Ioannes Baptista Semeria affirmit eum adhuc adulescentem Romanam se contulisse ibique convenienter, pro gentis suae splendore, in litteris et religione educatum esse⁷. Polonus etiam Societatis Iesu sodalis, Ioannes Gostkowski, panegyrico suo in honorem Opitii nostri composito scribit eum Collegium Romanum Societatis Iesu absolvisse⁸. Marius Guarnacci, Laurentius Cardella et Pompeius Litta⁹ asserunt cursum honorum et dignitatum ecclesiasticarum Opitii Pallavicini sub pontificatu Innocentii X (1644-1655) incohatum esse. At Pompeius Compagnoni¹⁰ tale principium temporibus Alexandri VII (1655-1667) collocat. Praeterea iam supra laudatus Gostkowski subiungit eum studiis absolutis "inter intimos Sanctissimae Alexandri VII aulae arbitros [esse] coptatum"¹¹. Pallavicini vero ipse litteris, 3 XII 1687 ad Franciscum Buonvisi datis, scribit se triginta annos in ministeriis summi pontificis, quorum viginti in explendo munere nuntii, transegisse¹². Ex eo tamen difficile est statuere, utrum ille circa annum

⁵ Litta V, p. 317.

⁶ Guarnacci, p. 201.

⁷ Semeria I, p. 519.

⁸ Gostkowski, p. 9v.

⁹ Guarnacci, p. 201, Cardella VII, p. 265, Litta V, p. 317.

¹⁰ Compagnoni IV, p. 321.

¹¹ Gostkowski, p. 9v.

¹² AS Lucca, Archivio Buonvisi II parte, f. asc. 53, n. 248.

1657/58 referendarius "utriusque Signaturae" sit nominatus¹³, an forte unius ex urbibus pontificis, quarum postea gubernator esse debebat, gubernacula ei commissa sint. Certum est autem inter urbes, in quibus annis sexagesimis XVII saeculi munere gubernatoris functus erat, has nominari: Septempedam (alias Sanctum Severinum), Fabrianum, Firmum, Montem Altum (1644), Asculum (1665)¹⁴. In vitae eius, quae exstant, descriptionibus animadvertisit eum officia sibi commissa semper diligenter explevisse, ita ut pedetemptim graviora et maioris momenti munera et onera in eum imponerentur. Non parum certo momenti in posteriore cursu honorum Opitii nostri habuit electio ad sumnum pontificatum (a. 1667 facta) Clementis IX ex stirpe Rospigliosi orti, quae mox cum Pallaviciniis Genuensibus se affinitate coniunctura erat¹⁵.

A. 1668 Clemens IX titulum archiepiscopi Ephesini ei contulit et nuntium pontificium Florentiae eum nominavit¹⁶. Hac nominatione initium sumpsisit sat longa series dignitatum et munerum Opitii Pallavicini, tunc 36 annos nati, in publicis sedis Apostolicae ministeriis expletorum, quae per viginti annos duravit et praeter sacrae purpurae dignitatem in eum collatam nomen eius in historia publicarum Sanctae Sedis legationum perenniter insculpsit.

In munere nuntii in Etruria obeundo Pallavicini quadriennium insumpsit (14 VI 1668 - 27 XII 1672)¹⁷, deinde Clemens X (1670-1676) eum nuntium Coloniae Agrippinae nominavit (a. 1672)¹⁸.

Dubio procul nuntiatura Coloniensis una ex difficilioribus erat. Nuntius enim non solum summi pontificis personam in catholicis civitatibus septemtrionalis et mediae Germaniae publice gerebat, sed etiam negotia curabat catholicorum in "protestanticis" Imperii regionibus degentium. Praeterea a. 1673 Sacra Congregatio de Propaganda Fide ei mandavit, ut etiam catholicos civitatum Scandinaviae, praeter Norvegiam, tutela et patrocinio suo prosequeretur et Curiam Romanam de condicione catholicorum in Anglia viventium certiorem faceret¹⁹.

Pallavicini ultra septem annos nuntiaturae Coloniensi praefuit (1 V 1673-12 X 1680)²⁰. Eo ipso tempore gerebantur certamina societatis bellicae contra Galliam initiae, quibus Sedes Apostolica in magna difficultate versabatur. Reconciliatio autem ab Opilio nuntio et Ioanne Baptista Pacichelli, eius auditore, in congressu Coloniensi (1673-1674) temptata felicem exitum

¹³ Litta V, p. 317.

¹⁴ Idem , p. 317, Gostkowski, p. 10v, 11v; Compagnoni IV, p. 321; Cardella VII, p. 265; De Noaves XI, p. 52.

¹⁵ Bologna, p. 34 nota 65.

¹⁶ AV, Ep. ad Princ. 67 f. 369v.

¹⁷ Repertorium I, p. 389.

¹⁸ Nuntius Coloniae Agrippinae nominatus est 29 XI 1672, cfr: Feldkamp, *Die Erforschung*, p. 271.

¹⁹ Feldkamp, *Studien und Texte* I, p. 62; II, p. 184-185; *Die Erforschung*, p. 206.

²⁰ Feldkamp, *Die Erforschung*, p. 271.

non habuit²¹.

Mortuo Clemente X a. 1676 ad Petri cathedralm electus est Benedictus Odescalchi, qui nomen sibi assumpsit Innocentii XI. Novus papa inde a principio pontificatus sui id sibi potissimum proposuit, ut una cum principibus christianis societatem armorum contra Turcas, Mahometi sectatores, institueret eosque ex Europa detruderet²². Quod tamen summi pontificis propositum quam arduum et difficile fuerit, hodie etiam nullo negotio intellegere possumus. In Europa enim perdurabat bellum, quo saepe regiones ipsae catholicae partes inter se adversas et hostiles sequebantur eisque favebant. Ita Poloni, qui bellum cum Turcis gerebant, m. Octobri a. 1676 pacem cum ipsis in Żurawno fecerunt. Sed non prius quam post tractatus Noviomagenses (1678-1679) conclusos, id est postquam principes Europae occidentalis inter se reconciliati erant, haec summi pontificis consilia ad effectum facilius adduci posse videbantur. Nam sperari poterat fore, ut societas armorum adversus Turcas instituenda tandem iniretur, propterea quod periculum, Imperio, Polonis et Moscovitis ex Turcis constanter imminens, semper magnum minimeque contempnendum esse existimabatur. In talem societatem armorum concludendam etiam conatus et labores nuntiorum: Vindobonensis, Francisci Buonvisi, et Varsaviensis, Francisci Martelli, continuo intenti erant. Imperium tamen, cui in occidente ex potentissima Gallia periculum impendebat, ad bellum contra Turcas parandum minime festinabat, tum etiam cum pactiones de induitiis in Vasvar initis interruptae essent²³. Quapropter papa spem belli contra Portam faciendi imprimis in Polonis collocavit. Confirmatio quidem pacis Żurawnensis (a. 1678) exspectationes Innocentii XI vehementer decepit, sed Franciscus Martelli nuntius Polonus exhortari non desinebat, ut foedus cum imperatore inirent, "ignominiosam" vero pacem cum Turcis rescinderent.

Res ipsae eiusmodi consiliis favere videbantur, cum duritia ac severitas Turcarum, quam in pactionibus de comprobanda pace in Żurawno facta exhibuerunt²⁴, animos omnium erga illos graviter exacerbasset. Galli praeterea, cum pax cum imperatore et electore Brandenburgensi composita esset, societatem et amicitiam cum Polonis minus curare coeperunt, quod vim et auctoritatem factionis Gallicae in Polonia vehementer debilitavit. Tali enim factioni id praesertim curae erat, ut pax cum Turcis servaretur. In comitiis

²¹ Feldkamp, *Studien und Texte* II, p. 191 nota 411.

²² De conatibus Innocentii XI ad instituendam societatem bellicam principum christianorum contra Turcas susceptis vide praeter alios: Pastor XIV/2, p. 62 et seq.; Fraknoi, p. 41 et seq.; De Bojani II, p. 531 et seq.

²³ Imperium et Turcae 10 VIII 1664 induitias inierunt in oppido Vasvar (Eisenburg, Eisenstadt). A. 1679 Constantinopoli suscepta sunt colloquia de eiusmodi induitiis prorogandis; vide Pastor XIV/2, p. 82.

²⁴ Pax Żurawnensis confirmata et rata facta est 7 IV 1678 Constantinopoli a Ioanne Gniński, palatino Culmensi. De legatione Ioannis Gniński vide: *Źródła do poselstwa Jana Gnińskiego wojewody chełmińskiego do Turcji w latach 1677-1678* [Fontes legationem Ioannis Gniński, palatini Culmensis, in Turciam a. 1677-1678 peractam illustrantes], wyd. F. Pułaski, Warszawa 1907; Hammer VI, p. 339-341, 348-350; Wójcik, *Jan Sobieski* p. 270 et seq; Stolicki, p. 55 et seq.

Grodnensibus (1678-1679) animi nobilium contra Turcas ita exasperati erant, ut decretum sit legatos ad principes christianos mittere subsidia ad bellum contra Turcas apparandum petituros²⁵.

Tempore, quo efficaciter erat agendum, summus pontifex nuntium suum Varsaviae mutare coactus est, nam Francisco Martelli ob affectam valetudinem in Italiā redeundum erat.

Itaque novus nuntius in Polonia nominatus est Opitius Pallavicini²⁶. Hoc papae propositum ex eo est ortum, quod sperabat fore, ut hoc modo consilia sua adversus Turcas capta facilius et certius ad effectum duderentur. Pallavicini enim propter experientiam et usum rerum publicarum, quem tempore difficilis nuntiatura Coloniensis per tot annos sibi comparaverat, peritiam in hominibus inter se conciliandis et reconciliandis, studium denique et diligentiam singularem in explendis mandatis ex Urbe acceptis exhibitam, spem faciebat actionem eius in Polonia bonos fructus esse allatum.

Opitius igitur 12 X 1680 Colonia Agrippina discessit²⁷, prius a Francisco Buonvisi, nuntio Vindobonensi, de itinere Varsaviam faciendo et commoda habitatione illic conducenda edoctus²⁸. Viam elegit, quam - temporis et periculi pestis ratione habita - tutiorem et breviorem fore sperabat, et quae per Germaniam septentrionalem (Dusseldorfum, Novam Domum prope Paderbornam, Hannoveram, Cellam) Berolinum ducebat, quo 31 X pervenit²⁹. Post 12 dies venit Varsaviam³⁰, ubi a Francisco Martelli, praedecessore suo, qui non prius quam verno tempore a. 1681 ex Polonia discessit, salutatus et exceptus est.

Congressus et colloquia cum praedecessore in nuntiatura Varsaviensi feliciter evenerunt. Is enim non solum domum suam ei liberaliter concessit (ipse vero in monasterium se abdidit), sed etiam de omnibus negotiis nuntiaturae, de generali statu rerum Poloniae et eminentioribus personis libenter ac diligenter ipsum edocuit. Consilio et auxilio eius adiutus novus nuntius etiam celeriter cognoscere potuit personas aulae regiae vicinas et animo comprehendere magnitudinem officiorum, quibus obviam iturus erat. Praeter res alias nuntio summopere cordi erat opportuna argumenta in labore suo adhibenda praediscre et notitiam ac societatem quandam cum illis ingredi, qui Domui Austriacae favebant. Quam feliciter haec consilia ipsi successura essent, proxima Regni comitia erant ostensura.

Pallavicini commissam sibi provinciam summo studio et diligentia explorare coepit. Nam rex ipse et eius fautores certo sibi persuadebant bellum contra Turcas esse necessarium, sed partis adversae repugnantia et pervica-

²⁵ Pastor XIV/2, p. 73; Wójcik, *Jan Sobieski*, p. 294 et seq.

²⁶ Vide epistulam card. Alderani Cybo ad Opitium Pallavicini 10 VIII 1680 datam. N. 1.

²⁷ Vide N. 26.

²⁸ Vide N. 4.

²⁹ Descriptionem itineris per Germaniam facti vide N. 29, 31

³⁰ Varsaviam venit 12 XII 1680, vide N. 37 et 38.

cia infringenda vel saltem attenuanda erat.

Nuntius ergo, a rege id expresse rogatus³¹, controversiam inter principem et supremos exercituum Regni capitaneos exortam componere conatus est. Ad eius preces summus pontifex m. Februario a. 1681 specialia brevia ad capitaneos exercituum dedit, quibus magnitudinem periculi Turcici et necessitatem Regni ab eo defendendi eis demonstrabat³². Itaque mediatore et suasore nuntio eodem m. Martio rex et supremi exercituum duces inter se congressi sunt et una consenserunt numerum exercitus necessario augendum et fines Regni ab hostibus tutandos esse³³. Nuntius praeterea multos Regni proceres coram adiit eosque modis omnibus cohortatus est, ut sedulo pro "defendenda patria" agerent et pugnarent, quod eius iudicio nil aliud erat quam communiter cum Imperio agere et commune bellum adversus Turcas promovere. Propterea summo studio Polonis et Lithuanis persuadebat necessitatem societatis armorum defensivae cum imperatore et cum Moscovitis, etiam si id cum certis incommodis coniunctum esset, ineundae. Episcopos quoque hortabatur, ne his consiliis repugnarent. Obtulit etiam summam 500 000 florenorum, quam papa iam a. 1679 Polonis promiserat³⁴, si eam forte bellum contra Turcas parare oporteret.

Tales labores et conatus nuntii bonum aliquem fructum allaturi esse videbantur. Licet enim Regnum opibus et annona omnino exhaustum atque exinanitum sit, neque ulla adfuerit spes certa auxili tam pecuniarii quam militaris (praeter subsidia a papa promissa), in comitiis Regni tamen decretum est numerum exercitus augere et tributa quoque ad alendum militem imponere. Sed exspectationes nuntii mox graviter deceptae ac frustratae sunt. Comitia enim 26 V 1681, post quattuor menses et dimidium, ex quo incohata erant, erupta sunt et ita spes omnis prosperioris rerum eventus omnino fracta esse videbatur.

Attamen nondum duo anni elapsi sunt, cum id, quod m. Maio a. 1681 prorsus frustratum et perditum esse visum erat, m. Martio a. 1683 prospero ac felici exitu conclusum est.

Periculum enim Turicum in dies crescens Leopoldum I imperatorem induxit, ut societatem armorum offensivam et defensivam Polonis proponeret. Quamobrem ad comitia Regni Poloniae, quae 27 I 1683 incohata erant, legatum suum extraordinarium, Carolum Ferdinandum comitem de Waldstein, misit. Rex et fautores imperatoris in Polonia, ope et auxilio non parvo nuntii et accidente pecunia ab imperatore et papa oblata³⁵, quamquam pars

³¹ Vide N. 151.

³² Textum brevium vide: Berthier I, p. 402.

³³ Vide N. 282.

³⁴ Vide notam 261 p. 106.

³⁵ Mandatarii imperatoris ad prosperum et felicem parti imperiali exitum comitorum obtinendum expenderunt summam 66 000 florenorum, Pallavicini autem saltem 14 700 florenorum insumpsit. Oratores regis Galliae, qui 50 000 "tantum" florenorum impenderant, efficere non valuerunt, ut comitia rumperentur (Pastor XIV/2, p. 110).

adversa talibus consiliis vehementer repugnabat, effecerunt, ut in comitiis decerneretur de societate armorum inter Poloniam et Imperium necessario ineunda.

Itaque cum die 28 m. Februarii opportunae hac in parte pactiones es- sent inceptae, non parvae difficultates e vestigio exortae sunt. Cum collo- quia inter utramque partem inita in angustiis versarentur, regi nihil aliud restabat, quam ut apud nuntium pontificium auxilium peteret³⁶. Quod ille ipsi non denegavit. Non vulgaris enim Opitii Pallavicini in reconciliando et compromissa inveniendo peritia et summa in exsequendis mandatis dili- gentia effecerunt, ut tunc quoque res feliciter caderent. Tempore colloquiorum ambae partes inter se ita dispositae erant, ne altera alterius verba au- dire posset. Nuntius autem inter utramque ambulabat et postulata atque obiectiones utriusque ex uno aulae angulo ad alterum transferebat, concilia- toris et mediatoris partes exercendo, si quae difficultates in colloquiis exo- riebantur³⁷. Hi eius labores felicem tandem tulerunt fructum, nam 1 IV 1683 foedus inter imperatorem et Poloniam ictum est. Quod foedus magnus successus tam ipsius nuntii et Sedis Apostolicae quam factionis imperialis in Polonia certo considerari potest. Eius etiam fructus autumno eiusdem 1683 anni fuit expeditio illa Ioannis Sobieski ad Vindobonam facta, victoria de Turcis reportata et libertas oppugnatae urbi restituta.

Anno 1684 instituta est etiam a summo pontifice exoptata societas, vul- go "liga sancta" nuncupata, cum 5 III 1684 Linciae ad Danubium foedus in- ter imperatorem, regem Poloniae et ducem Venetiarum initum et conclusum esset. Duobus annis post, cum a. 1686 etiam inter Polonos et Moscovitas pax (quae a nomine Christophori Grzymułtowski appellatur) facta esset, Moscovia quoque ad "ligam sanctam" accessit.

In huiusmodi societate armorum constituenda principem partem habue- runt Opitius Pallavicini et Franciscus Buonvisi, nuntius apostolicus Vindo- bonensis, ab a. 1681 cardinalis, qui artissime et concorditer inter se coope- rati sunt et enixe studuerunt, ut communitatem civitatum christianarum instituerent, quae ad bellum contra communem hostem Turcam gerendum paratae essent. Copiosissimum epistularum commercium, quod inter ut- rumque nuntium intercesserat, nunc in tabulario publico Lucensi asservat- um, ad eventus illos illustrandos ac penitus cognoscendos maximi sane momenti nobis esse videtur.

Sequentibus annis Opitius constanter ac sedulo conatus est, ut Poloni onera et obligationes, quae ex tali armorum societate promanabant, accura- te adimplerent. Quod munus certo non erat facile. Nam post expeditionem Vindobonensem mutuae relationes inter Poloniam et Imperium nonnulli languidiores ac frigidiores factae sunt, rex et eius amici exspectationes suas deceptas esse animadvertebant, auctoritas vero et pondus regis Galliae et

³⁶ Pastor XIV/2, p. 105.

³⁷ Relationem de his colloquiis vide: Fraknoi, p. 71; Pastor XIV/2, p. 105.

factionis Gallicae in Polonia in dies crescebant.

Expeditiones bellicae, quae quotannis quidem, sed male instituebantur, ob non sufficientem exercitus praeparationem et tardiorum profectionem ad bellum optatos speratosque exitus non habuerunt. Nuntius, qui subsidiis pontificiis arbitrio suo uti poterat, omni ope atque opera est enixus, ut apparatus bellicos et exercitus ad bellum profectionem maturaret atque acceleraret. Vehementer ergo eum irritabat segnities in agendo, quam apud multos animadvertebat, et in capiendis consiliis tarditas. Litteris ad Franciscum Buonvisi 25 VII 1685 datis queritur Polonus frustra tempus terere et initium expeditionis retardare, et subiungit: "Non si può spiegare la pena che ho, dovendo, per così dire, sudare sangue per fare muovere un passo"³⁸.

A. 1686, tempore infelicitis expeditionis Ioannis Sobieski in Moldaviam, 1 V ex Jaworów oppido ad Franciscum Buonvisi scripsit se usque illuc regem secutum esse et attente ac diligenter vigilare statuisse, donec ad bellum proficisci eretur³⁹.

Quia, ut iam diximus, distributio pecuniae a papa Polonis ad bellum cum Turcis gerendum oblatae in eius arbitrio erat, nuntius et hoc persuasoris argumento libenter utebatur. Itaque cum comitia a. 1685 tributum bellum decreta non esse viderentur, fortiter comminatus est se pecuniae solutionem negaturum esse⁴⁰.

Vigilabat etiam, ut summae pecuniarum a papa concessarum recte usurparentur, ut horrea rei frumentariae et commeatus ad usum exercitus instituerentur, ut valetudinaria militum non solum conderentur, sed necessariis etiam instruerentur medicamentis.

Innocentius XI hos conatus et labores nuntii sui in Polonia magni fecit et 2 IX 1686 eum sacra cardinalium purpura decoravit⁴¹. Ecclesiam titularem ei assignavit templum "Sancti Martini ad montes" in Esquiliis situm.

Opera Opitii Pallavicini in Polonia non solum ad res publicas et quaestiones, ut ita dicamus, politicas spectabat, nam nuntius res quoque religiosas et disciplinam ecclesiasticam magni momenti esse existimavit eisque multum temporis et laboris, praesertim ante annum 1683, dedicavit.

Iam enim m. Novembri a. 1680 card. Alderanus Cybo, secretarius status, ei mandavit, ut secundum decreta Concilii Tridentini statum religionis in Polonia meliorem efficere et disciplinam ecclesiasticam corrigere nitetur⁴². Pallavicini labore suum incepit porrigendo episopis, Varsaviae propter comitia a. 1681 congregatis, accuratas interrogationes, ad statum seminariorum et missiones in singulis dioecesis institutas vel instituendas pertinentes⁴³. Eodem tempore tradidit eis scriptum a se apparatum,

³⁸ AS Lucca, Archivio Buonvisi II parte, fasc. 52, n. 206.

³⁹ Ibidem, fasc. 57 n. 15.

⁴⁰ Wójcik, *Jan Sobieski*, p. 360.

⁴¹ Vide Berthier II, p. 299.

⁴² Vide N. 35.

⁴³ Vide AV, Nunz. Pol. 99 f. 142r-143v, 144r-v.

quo in 14 punctis indicavit praecipua munera et officia, quae in actione ipsorum pastorali explere et exsequi debebant, scilicet: debellare haereticos, observare clausuram in monasteriis monialium, obtemperare decretis Concilii in negotiis matrimonialibus, divortiis, beneficiis ecclesiasticis, usura etc., promovere unionem schismaticorum cum Ecclesia Romana. Hoc nuntii documentum continebat etiam consilia ad modum emendandi et corrigendi errores pertinentia⁴⁴.

Eiusmodi tamen nuntii nostri studium et diligentia in explendo munere adhibita episcopis Polonis minus placuit. Propterea litteris ad Augustinum Favoriti, secretarium pontificium notulis arcanis praepositum, datis ita queritur: "... quei Prelati si son scusati che non potevano metter in pratica i miei consigli, attento che il genio di questa nazione non ammette la disciplina dell'altre parti, ove i popoli son più docili"⁴⁵. Opitius ergo constituit "magis exemplo et usu quam ratione"⁴⁶ eos adducere, ut crederent consilia sua revera observari et expleri posse. In novitatibus Varsavia allatis, Ancone typis impressis, legi poterat nuntium decrevisse ecclesias urbis Varsaviae visitare "per ridurle alla conformità della Chiesa Romana", deinde visitatores ad decanatus mittere et designare missionarios, qui Evangelium praedicarent⁴⁷.

Duobus mensibus post, 16 XII 1681, Romam allatum est Opitium una cum episcopis reformationem cleri continuare visitationes peragendo et instituendo congressus synodales⁴⁸. Litteris ad Augustinum Favoriti 24 XII 1681 datis scripsit: "Si proseguisce qui il travaglio circa la disciplina ... Si lavora per l'erezione del Seminario e per il Sinodo, scordato sin dalla invasione de' Svedesi nella Polonia tutta"⁴⁹.

Nuntius praeterea diligenter incumbebat in instituendas missiones, eo consilio, ut Poloni articulos fidei penitus cognoscerent. Unam ex eiusmodi missionibus condidit in dioecesi Posnaniensi, ubi in 12 stationibus sodales Societatis Iesu et aliorum Ordinum doctrinam fidei catholicae incolas docebant⁵⁰. Autumno a. 1681⁵¹ in Polona Livoniae parte suo sumptu fundavit alteram missionem, expensa summa 600 florenorum. Misit illuc duos Jesuitas, qui ex una domo ad alteram migrantes rudimenta fidei christianaे populum docebant et a. 1682 ad Ecclesiam converterunt 137 familias, quae "sine Deo, sine lege et sine baptismo" hactenus vixerunt⁵².

Tempore suae commorationis in Polonia Pallavicini celebravit ultra de-

⁴⁴ Vide A. 6.

⁴⁵ Litteras Varsavia 30 X 1681 datas vide: AV, Nunz. Pol. Add. 6, s.f.

⁴⁶ Ibidem.

⁴⁷ AV, Avvisi 44 f. 136v.

⁴⁸ AV, Avvisi 46 f. 47v-48r.

⁴⁹ AV, Nunz. Pol. Add. 6, s.f.

⁵⁰ Vide APF, Acta 53 f. 83r-84v.

⁵¹ Vide AV, Nunz. Pol. 99 f. 544v-545r.

⁵² Cfr.: APF, SOCG 486 f. 389r, 399r-400r; Acta 53 f. 83r-84v.

cem processus candidatorum, qui ad episcopatum proponebantur, et episcoporum, qui ad aliam dioecesim transferebantur. Tales quoque episcoporum ex una dioecesi in alteram translationes, in Polonia satis frequentes, praepedire tentavit, sed conatus eius hac in parte irrito fuerunt⁵³.

Cum in comitiis Regni a. 1681 inter nobiles et ecclesiasticos acriter disputaretur de abrogandis quibusdam constitutionibus comitiorum Grodnen-sium (1678 - 1679), quas cleris immunitatem ecclesiasticam laedere arbitrabatur, et de tributis ab ecclesiasticis solvendis, tum Pallavicini, non au-tem Stephanus Wydżga primas, voluntatis constantia omnino carens, par-tem conciliatoris egit et adlaboravit, ne comitia rumperentur⁵⁴.

Tempore etiam, quo Pallavicini munere nuntii in Polonia fungebatur, ad vacante episcopatum Livoniensem rursus nominatus est episcopus Polonus (quod cum redimendis bonis episcopalibus coniunctum erat). Hoc etiam nuntio nostro in laude ponendum est. Sollicitus quoque erat de vita monastica in Republica Utriusque Nationis rite ordinanda, componere nitebatur controversias inter episcopos Ruthenos unitos et Ordinem Basiliano-rum exorientes, episcopos orthodoxos ad unionem cum Ecclesia Catholica al-licere et attrahere conabatur.

Praeterea concessis sibi facultatibus utens impertiebat varii generis dispensationes, concedebat licentiam Missas in oratoriis privatis celebrandi, possidendi altaria portatilia, absolvendi ab haeresi, et alia similia. Hanc eius actionis partem ex "Libro gratiarum" in Tabulario Vaticano servato, temporis spatium a 6 XII 1680 ad 30 IV 1685 complectente, accuratius cognoscere possumus.

Non sunt tamen ad dies nostros asservata acta Tribunalis nuntiaturae Varsaviensis, propterea actionem eius iudicariam prorsus ignoramus.

Munere auditoris Opitii Pallavicini Varsaviae fungebatur Iacobus Maria ab Unda. Quia tamen idem Iacobus adventum novi nuntii Coloniae exspectare debuit⁵⁵, idcirco primis mensibus officia auditoris novi nuntii Varsaviensis explebat Iacobus Magliabechius, qui iam Francisci Martelli, prae-decessoris eius, auditorem egerat. Iacobus Maria ab Unda, utriusque iuris doctor, "generalis causarum auditor et iudex", verno tempore a. 1681 (post 21 III)⁵⁶ Varsaviam venisse ibique per totam nuntiaturam Opitii Pallavicini permansisse videtur⁵⁷. Cum Pallavicini regem et totam aulam regiam Cracoviam sequeretur, specialibus litteris, 23 VII 1683 datis, facultates suas ad impertiendas gratias attinentes in auditorem suum transtulit⁵⁸.

Officia cancellarii et notarii nuntiaturae Richardus Cody obibat. A.

⁵³ Vide N. 263.

⁵⁴ Vide N. 223.

⁵⁵ Vide N. 23.

⁵⁶ Itaque dispensationem Thomae Szulc 21 III 1681 concessam tamquam auditor subscriptis Iacobus Magliabechius, vide N. 268

⁵⁷ Wojtyska ANP I, p. 278.

⁵⁸ Quod munus renovatum est 8 III 1684. Vide: AV, Arch. Nunz. Vars. 177f. 149r.

1682 Pallavicini etiam procancellarium Adalbertum Skwarczyński nominavit⁵⁹, qui - postquam Opitius Polonia discesserat - per multos annos (usque ad a. 1721)⁶⁰ munere cancellarii nuntiaturae Varsaviensis functus est.

Ab epistulis autem Opitio erat Ascanius Silvestri (de Silvestris), sacerdos Senensis, qui simul cum ipso Varsaviam venit et verisimiliter per totum nuntiaturae eius tempus ibi commoratus est. In comitatu eius adhuc prima parte a. 1689 illum offendimus, cum Opitius munere legati pontificii Urbini fungeretur⁶¹.

Duo reliqui adiutores nuntii nostri, nobis de nomine noti, fuerunt: Valentinus Galli, sacerdos dioecesis Camerinensis, et Petrus Blondel.

Tam multi tandem labores et conatus, qui vires eius quidem extenuarunt, sed non semper aliquem bonum tulerunt fructum, ingenium quoque populi Poloni ingenio gentis suae dissimile, intemperies caeli, molesta et incommoda itinera (nam saepissime aulam regiam sequi cogebatur), denique valetudo in dies ingravescens, effecerunt, ut nuntius taedio quodam ac satietate et praesertim desiderio in Italiam redeundi laborare coepisset.

Iam autumno a. 1681, cum Franciscus Buonvisi cardinalis esset creatus, Pallavicini sperabat fore, ut ipse in eius locum Vindobonam transferretur. Quapropter Augustinum Favoriti et ipsum Buonvisi per litteras rogavit, ut se apud papam hac in parte commendarent⁶². Buonvisi tamen Vindobonae remansit.

Cum autem a. 1686 ipse Pallavicini cardinalis factus esset⁶³, episcopus vero Bellovacensis et orator regis Galliae in Polonia (a. 1674-77 et 1680-81), Panhagius (Toussaint) de Forbin-Janson (pro quo Ioannes III rex apud summum pontificem iterum atque iterum intercesserat, ut sacra purpura donaretur) ad hanc dignitatem non esset electus, Pallavicini in aula regia Poloniae persona non grata existimari coepitus est. Praesertim regina certo sibi persuadebat machinationibus et artificiis nuntii factum esse, ne is, qui munere oratoris Galici in Polonia bis functus esset, sacra purpura honestaretur. Quamobrem Pallavicini scribebat ad card. Alderanum Cybo, secretarium status: "... La mia dimora qui ... non conviene, non giova, anzi nuoce positivamente alla Santa Sede. Ho un avversario implacabile dopo che alla Regina è stato, come essa dice, scritto di costà da un Cardinale che io sono l'autore di tutto quello che è seguito contro il suo gusto e desiderio ..."⁶⁴. Praeterea eadem epistula notulis secretioribus scripta suggerebat, ut

⁵⁹ Vide: AV, Arch. Nunz. Vars. 177f. 194r-v.

⁶⁰ Wojtyska ANPI I, p. 281, 284, 286, 289, 291, 293, 295, 297, 299, 300.

⁶¹ In "Relazione della Corte di Roma composta dal Conte Orazio Delci". Romae 16 VII 1699 composita, legimus Opitium Pallavicini, cum munus legati Urbini ei commissum esset, "si lasciò totalmente governare da un Prete Silvestri Senese..." (BV. Ottob. Lat. 2686 f. 121: cfir: Urb. Lat. 1631, Vat. Lat. 7440).

⁶² Litterae ad Augustinum Favoriti 22 IX 1681 (AV. Nunz. Pol. Add. 6. s.f.) et 24 IX 1681 ad Franciscum Buonvisi datae (AS, Lucca, Archivio Buonvisi II parte, fasc. 52 n. 143).

⁶³ In consistorio 2 IX 1686 celebrato.

⁶⁴ Litteras "decifratas", 20 VII 1687 scriptas, vide: AV. Nunz. Pol. Add. 4 s.f.

ad proxime futura Regni comitia Grodnae celebranda novus nuntius mitteretur, qui negotia Sedis Apostolicae efficacius curaret.

Valde ergo gavisus est, cum Romae esset decretum, ut ad comitia Grodnensis Iacobus Cantelmi nuntius extraordinarius mitteretur, sperabat enim hoc modo se in Italiam cito revocatum iri. Scribebat ergo ad card. Buonvisi 3 XII 1687: "... parmi di vedere Porto, e così spero sarà anco di Vostra Eminenza e che ce n'andremo insieme in Italia ..." ⁶⁵.

Antequam tamen optatissimum nuntium advenisset, aliquot adhuc menses elapsi sunt. Nam non prius quam m. Iulio a. 1688 papa Opitium Pallavicini legatum suum Urbini nominavit⁶⁶.

Post discessum Opitii Pallavicini ex Polonia munere nuntii extraordinarii breviter functus est iam supra memoratus Iacobus Cantelmi, 23 X 1688 nuntius ordinarius nominatus. Pallavicini ipse 2 X 1688 Varsavia discessit⁶⁷ et per Vindobonam et Tyrolum in Italiam revertit⁶⁸. Ad locum legationis suaे Urbinatensis m. Decembri a. 1688 pervenit⁶⁹.

Die 28 XI 1689 episcopus Spoletanus, die autem 8 VIII 1691 Auximanus est nominatus⁷⁰.

Obiit Romae ex ictu sanguinis seu apoplexia 11 II 1700. Sepultus est in ecclesia "Sancti Martini ad montes" appellata⁷¹. Sed lingua et cor Opitii Genuae in oratorio Pallaviciniorum in ecclesia olim Franciscanorum, vulgo Celestia dicta, requiescunt⁷².

⁶⁵ AS, Lucca, Archivio Buonvisi II parte, fasc. 53 n. 248.

⁶⁶ In consistorio 12 VII 1688 peracto, vide AV, Avvisi 44 f. 248r.

⁶⁷ Vide AV, Nunz. Pol. 107 f. 371r.

⁶⁸ Vindobonam venit 31 X 1688, liberaliter salutatus a card. Buonvisi (AV, Nunz. Pol. 107, f. 425r). Ubi per aliquot dies substitut et ab imperatore in audiencia exceptus est. Interruptum iter resumpsit 8 XI 1688 (AV, Nunz. Pol. 107 f. 435v). Die 27 Novembris fuit Hallae prope Oenipontem, unde scripsit ad card. Alderanum Cybo (AV, Nunz. Pol. 107, f. 463r-464r).

⁶⁹ Vide AV, Nunz. Pol. 107 f. 374r. Die 23 XII 1688 fuit Pisauri (AV, Legazione di Urbino 2, f. 264r), ubi usque ad finem mensis Iunii 1689 remansit, deinde Urbinum se contulit.

⁷⁰ Ritzler-Sefrin, p. 713, 729.

⁷¹ De ultimis diebus vitae et de morte Opitii Pallavicini scribit Compagnoni, p. 322-324.

⁷² M. Remondini, *Parrocchie dell'archidiaconato di Genova* IV ed., p. 145.

2. De fontibus ad nuntiaturam Opitii Pallavicini pertinentibus.

In Tabulario Vaticano ad dies usque nostros servatum est universum epistularum commercium, quod inter Opitum Pallavicini, cum munere nuntii pontificii in Polonia fungeretur (1680-1688), et Secretariatum Status intercedebat. Quae scripta nunc in ea Tabularii sectione custodiuntur, quae **Nunziatura di Polonia** nuncupatur. Singula volumina, quibus documenta continentur, accurate conglutinata sunt et conservatio eorum bona est. Non sunt tamen asservata epistularum involucra, inde et sigilla desunt. Epistulae nuntii his voluminibus continentur:

- a) Originales epistulae Opitii Pallavicini ad Secretariatum Status (a. 1680-1688 datae) clausae sunt in voluminibus: 98-101, 103-107, quae praeter episitulas et novitates ("avvisi") a nuntio missas etiam alia scripta continent, ad res in epistulis tractatas pertinentia, quae a nuntio per tabellarios Romam mittebantur (ut erant originales litterae vel exempla litterarum regis et procerum, tam ecclesiasticorum quam saecularium, diaria comitiorum Regni, instructiones regiae ad usum illorum divulgatae, qui comitiis Regni et singularum terrarum conventibus ("comitiolis") interfuturi erant, relationes de legationibus principum exterorum et alia similia).
- b) Registra litterarum ex Secretariatu Status ad nuntium missarum servantur in voluminibus: 183A (a. 1680-1681), 185 (a. 1682-1686), 186 (a. 1687-1688).
- c) Litterae nuntii ad Secretariatum Status notulis arcanis scriptae ("cifrae"), iam "decifratae", quae annos 1680-1682 comprehendunt, in volumine 94 (f. 331r-507v) collocatae sunt; quae autem ad annos 1683-1688 spectant, in volumine 102 (f. 74r-323v) inveniuntur. Praeterea in voluminibus 4 et 6 "Additionum", numeratione paginarum parentibus, aliquot litteras "decifratas" annis 1683-1688 scriptas invenies.
- d) Registra litterarum notis secretioribus exaratarum, quae ex Secretariatu Status ad nuntium annis 1680-1682 missae erant, continentur in volumine 94 (f. 39r, 46r-59v); quae vero annos 1683-1688 complectuntur, in volumine 102 (f. 2r-57v) sunt posita.
- e) Concepta seu minutus litterarum ex Secretariatu Status annis 1683-1688 ad nuntium datarum in volumine 6 "Additionum" legere potes.
- f) Epistulae originales et autographae ab Opitio Pallavicini ad Augustinum Favoriti, notarum scriptorem, a. 1681-1682 datae, et ad eius successorem, Laurentium Casoni, a. 1683 scriptae, in volumine "Additionum" 6 continentur.

Pars Archivi, quae **Nunziature Diverse** nuncupatur, continet scripta notis secretis exarata ex Secretariatu Status ad Opitium Pallavicini missa et scripta iam "decifrata", quae a nuntio missa in Secretariatum pervenierunt.

a) Exempla epistularum notulis arcanis scriptarum, quae ad nuntium pontificium in Polonia pervenerunt, servantur in voluminibus: 221 (f. 77r-94v) - scripta a. 1681 missa; 229 (f. 1r-9v) - ad a. 1683 spectantia; 230 (f. 101r-118) - ad a. 1684 pertinentia, 232 (f. 35r-43v) - a. 1685 comprehenden-tia.

b) Exempla epistularum "decifratarum" ad nuntium datarum in se-quentibus voluminibus continentur: 221 (f. 82r-131r) ad a. 1681, 226 (f. 1r-24r) ad a. 1682, 229 (17r-40r, 47r-79r) ad a. 1684, 232 (f. 47r-66v) ad a. 1685 spectantia.

In sectione Tabularii Vaticani **Processi Consistoriali** appellata servantur processus informativi nominatorum ad episcopatum vel ex una dio-eesi ad alteram transferendorum, a nuntio pontificio celebrati et formati. Status conservationis eiusmodi documentorum non semper bonus est. Sae-pe enim singularum paginarum margines deleti vel lacerati sunt. Processus, qui ab Opilio Pallavicini peracti erant, continentur in columnibus 80-85.

Archivio di Nunziatura di Varsavia, vol. 177, quod inscribitur: "Liber expeditionum gratiarum tempore Ill.mi et Rev.mi D.ni Opitii Pallavicini, Dei et Apostolicae Sedis gratia Aepi Ephesini et Nuntii Apostolici", constat ex 194 paginis, et est liber registrorum, in quo relatae sunt gratiae a die 6 XII 1680 ad 30 IV 1685 a nuntio concessae. Charta voluminis, accurate con-glutinati, est multis locis fuscata et ab insectis corrupta.

Scripta ad nuntiaturam Opitii Pallavicini pertinentia servantur praete-rea in sequentibus Archivi Vaticani sectionibus:

Secretariatus Brevium, vol 1650 (ubi inveniuntur "facultates" ad usum Opitii Pallavicini a. 1680 apparatae) et vol. 1651;

Epistolae ad Principes, vol. 74 (ubi habentur litterae credentiales a. 1680 Opitio Pallavicini datae) et vol.75 (scripta ad a. 1683 spectantia);

Lettere di Cardinali, vol. 50-52 (epistulae Opitii Pallavicini ad sum-mum pontificem a. 1686-1688 datae);

Congregatio Episcoporum et Regularium, vol. 87, 88, 126, quibus in hoc praesenti volume usi sumus (sunt registra litterarum Congregationis ad annos 1680 et 1681 spectantium);

Nunziatura di Colonia, vol. 221 (epistulae ex Secretariatu Status a. 1680 ad nuntium missae) et vol. 56 (epistulae nuntii eodem anno ad Secre-tariatum datae).

In **Archivo Congregationis de Propaganda Fide** servantur epistulae nuntii ad Congregationem vel Secretariatum Status missae, deinde vero - propter argumenta in eis tractata - in Congregationem traditae. Aliqua pars eiusmodi documentorum restaurata esse videtur. Originales epistulae nun-tii in sequentibus seriebus continentur: "Scritture originali riferite nelle Congregazioni Generali" - SOCG, vol. 482-488, 490-492, 494-497, 499, 500-502; "Congregazioni Particolari" - CP, vol. 25, 29, 30; "Scritture riferite nei Congressi" - SC, vol. SC, Moscavia, Polonia, Ruteni, vol. 2.

Registra epistularum, quae ex Congregatione ad nuntium mittebantur, servantur in serie "Lettere", vol. 69-77.

Praeterea in serie "Acta" nuncupata continentur summaria epistularum nuntii, de quibus in sessionibus generalibus Congregationis disputabatur, necnon decisiones tunc in Congregatione decretae (vol. 51-58).

Praeter archiva Vaticana in **Tabulario Publico Lucensi** (Archivio di Stato, Lucca) servatur collectio documentorum, quae ad illustrandam operam Opitii Pallavicini in Polonia magni momenti esse videntur. Agitur scilicet de "**Archivio Buonvisi**, II parte", id est tabulario privato card. Francisci Buonvisi, Lucensis, qui tempore, de quo hic sermo est, munere nuntii pontificii Vindobonae fungebatur. Pallavicini enim et Buonvisi satis frequenter ad se invicem scribere solebant. Hoc epistularum commercium inter eos habitum magna ex parte in Tabulario Lucensi ad dies nostros asservatum est. In fasciculis 16-20 et 23-25 continentur registra epistularum a Francisco Buonvisi praeter alios etiam ad Opitium Pallavicini scriptarum. Haec registra, diligenter conglutinata, numeratione paginarum carent, sed singulae epistulae suis numeris sunt praeditae. Atramentum in eis est saepe decoloratum, unde textus non semper lectu est facilis.

Epistulae nuntii nostri ad Franciscum Buonvisi datae (autographae et originales), non semper servato temporis ordine dispositae, collocatae sunt in fasciculis: 21, 35, 45, 49, 51, 52, 54, 57. Etiam haec volumina numeratione paginarum non sunt instructa, sed singula scripta suis numeris signata sunt.

In **Tabulario Publico Romano** (Archivio di Stato, Roma), in sectione **Archivio Santacroce** appellata, vol. 1229, fasc. 4 servantur registra epistularum ex Secretariatu Status inde a 4 I 1687 ad 30 X 1688 ad Opitium Pallavicini datarum et registra epistularum eiusdem Pallavicini et Iacobi Cantelmi, nuntii extraordinarii, ad Secretariatum a 7 I 1688 ad 11 V 1688 missarum.

In **Fondo Camerale II**, Nunziature 8, fasc. 1-3 inveniuntur rationes subsidiorum, quae ab Innocentio XI ad bellum contra Turcas gerendum persoluta sunt. Scripta haec non sunt conglutinata et numeratione paginarum carent. Status eorum conservationis satis bonus existimari potest.

In **Tabulario Pallavicini - Durazzo**, quod est Genuae, asservatae sunt epistulae Opitii, magna ex parte autographae, ad fratrem, marchionem Ioannem Franciscum Pallavicini, datae. Non omnes tamen integrae et bono statu sunt conservatae. Epistulae ad tempus, quod nostra hic interest, spectantes continentur in fasciculis: 33 (a. 1680) et 34A (a. 1682, 1683, 1685).

In **Tabulario Publico Genuensi** (Archivio di Stato, Genova) in sectione "Archivio Segreto" vol. 2815, s.f. servantur epistulae, quae oblata occasione variarum festivitatum a card. Opitio Pallavicini ad ducem et proceres Genuenses a. 1687-1699 mittebantur.

In **Bibliotheca Vaticana** custodiuntur epistulae Opitii Pallavicini ad

card. Carolum Barberini, protectorem Regni Poloniae, datae, quae in sectione manuscriptorum continentur et spatium temporis a 9 VII 1681 ad 6 II 1689 comprehendunt (sign.: Barb.Lat. vol. 6664, f. 1r-56r).

In **Bibliotheca Academiae Scientiarum Cracoviensi** servantur, saeculo XIX confecta, apographa epistularum Opitii Pallavicini ad Secretarium Status missarum. Documenta haec custodiuntur in Thecis Romanis, quas vocant, et tempus a 20 X 1680 ad 31 XII 1687 complectuntur. Apographa signata sunt: 8433-8437, nr. 93-97.

Singula documenta reperiuntur in **Bibliotheca Principum Czartoryski Cracoviae** (ubi servatur exemplum litterarum Ioannis III regis ad Pallavicini nuntium a. 1683 datarum, ms. 1865; exemplum litterarum eiusdem Pallavicini a. 1688 ad regem, ms. 1376; oratio nuntii in comitiis Regni Poloniae mense Februario a. 1681 habita, ms. 181, 419);

In **Bibliotheca Jagellonica Cracoviensi** (ubi custoditur exemplar litterarum Ioannis III ad Opitium Pallavicini a. 1686 scriptarum, ms. 8845 IV, f. 20r-v, et panegyricus Ioannis Gostkowskiego, Societatis Iesu sodalis, in honorem Opitii Pallavicini compositus, ms. 52); in **Bibliotheca Nationali Varsaviensi** (in qua servata est originalis dispensatio a nuntio nostro abbati Andreae Chrysostomo Załuski mense Februario a. 1681 concessa, ms. III, 3093 f. 56).

Epistularum commercium Opitii Pallavicini ad spatium temporis pertinens, quo munus nuntii pontifici in Polonia explebat, hactenus ex toto typis editum non est. In variis enim fontium editionibus epistulæ eius (vel ad eum scriptæ) solum in contextu rerum, quibus singulæ editiones præcipue dedicatae erant, publicari potuerunt. Sunt ergo publicationes non completæ et imperfectæ, thematibus editionum principalium circumscriptæ.

Inter maioris momenti editiones fontium, quibus singula scripta ad nuntiataram Opitii Pallavicini attinentia divulgata sunt, imprimis nomina nanda esse videntur: *Akta do dziejów króla Jana III, sprawy roku 1683, a osobliwie wyprawy wiedeńskiej wyjaśniające* [Acta ad res gestas Ioannis III regis, eventa anni 1683, praesertim vero expeditionem Vindobonensem illustrantia], ed. Franciscus Xaverius Kluczycki, Cracoviae 1883 (ubi publicantur aliquot epistulæ Opitii Pallavicini a. 1683 ad Secretarium Status datae); *Korespondencja arcbpa Cantelmeego, nuncjusza nadzwyczajnego na sejm grodzieński w 1688r* [Epistularum commercium archiepiscopi Cantelmi, nuntii extraordinarii ad comitia Grodnensis a. 1688], ed. Sbigneus Szostkiewicz, in: *Sacrum Poloniae Millennium*, t. 3, Romae 1956; *Litterae nuntiorum apostolicorum-historiam Ucrainae illustrantes*, ed. Athanasius G. Welykyj, Romae 1959-1977, t. XIII, XIV (ubi edidit ex toto vel saepius ex parte epistulas et "avvisi", de rebus Ucrainae a. 1680-1688 tractantia, quae nuntius Varsaviensis ad Secretarium Status et S. Congregationem de Propaganda Fide mittebat); *Litterae S. C. de Propaganda Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantes*, ed. Athanasius G. Welykyj, Ro-

mae 1954-1957, vol. II, 1955 (epistulae ex Congregatione ad nuntium a. 1680-1688 missae); *Monumenta Ucrainae Historica*, ed. Andreas Šeptyckyj, Romae 1964-1975, t. IV, 1967 (epistulae a nuntio et ad nuntium a. 1680-1688 datae); Ferdinando De Bojani *Innocent XI. Sa correspondance avec ses nonces (1676-1684)*, Lutetiae Parisiorum-Romae 1910-1912, t. III, 1912 (ubi, cum de rationibus inter Sedem Apostolicam et exterias regiones trac-tat, aliquot epistulas Opitii Pallavicini et card. Alderani Cybo adducit). Accuratiorem indicem editionum, quibus documenta ad nuntiaturam Opitii Pallavicini pertinentia publicata sunt, in bibliographia singulorum volumi-num nostrorum lector inveniet.

Maria Domin-Jačov

Latine vertit Lucianus Olech